

Mart.

1723

Legum sanctitate morumque cultura celebratissimum, usu fuisse receptum, diserte testatur DIO, ob Atticam eloquentiam vulgo CHRYSOSTOMVS dictus, *Orat. XXXI. Illic, inquit, quando publice Civium quendam ob scelus commissum mori oportet, sique is metu pœna aufugerit, IPSIVS LOCO IMAGO ADHIBETVR, nomen præterea e publicis tabulis deletur, statuæque omnes evertuntur funditus. Quam ob rem? ne memoria appareat ulla scelerum, quæ perpetrabit, sed omnino obscuretur.* Neque est, ut hujusmodi supplicium in imagine fontis peractum cum Gab. Bartholomæo Gramondo Historiarum Galliaë libro XVII. ad Annum 1628. pag. 751. comicum, ludicrum, in phantastico corpore factum appelles, quod hoc ipso neque reo fugitivo ægre fieri, neque is ad bonam frugem hoc vano & inani pœnæ spectaculo revocari posse videatur. Non enim, si forte hic finis cesset, omni plane fructu omnique emolumento destituuntur isthæc umbratica atque imaginaria malefactorum civium supplicia. Nam primum, quam execrabile, quam detestabile, quam nefandum, & inhumanum admisum in præfenti scelus, cum in levioribus noxis eluendis vulgo non habeat locum, quantumque ipsa tantum facinus aversetur Respublica, & ab eodem animo penitus abhorreat, hoc modo publice protestatur. Huc accedit alterum commodum, quod ex hujus generis pœnis in totam redundat Civitatem, ut homines insigniter improbi, videntes ipsa fuga se non omnem Magistratus Civilis animadversionem in sua scelera evasisse, sed abs se reis, tametsi absentibus, quomodocunque tamen adhuc exigi sumique pœnas, hac ratione a similibus flagitiis perpetrandis deterreantur. Neque plane hujus etiam pœnæ, quam *in sua dedit effigie*, expers manet fugitivum scelus. Nisi enim sit plane perfrictæ frontis homo, quemque probri ac ignominiaë suæ penitus neque pudeat, neque tædeat, indelebili nominis infamia, qua tali supplicio publice notatur, & quo ipso omnium bonorum, qui illum norunt, odium, indignationem, summamque aversionem incurrit, non potest non valde commoveri animo, & nisi plane sit in malo perduratus, gravem animo pœnam ex recordatione criminis commissi per-

H h 5

to-